

1658.

1. Bechman, Johann Volk: De casibus fortuitis.
2. Bechmann, Johann Volk: De evictionsibus.
3. Bechmann, Johann Volk: De libello
4. Bechmann, Johann Volk: De jure belli.
5. Bechman, Johann Volk: De donatione Constantini M.
ca. C. 14 Distinct. 96.
6. Zoehrus, Christophorus Heinrichus: De regno.
7. Pommerus, Casparus: De legibus.
8. Richter, Christophorus Philippus: De prosopolepsia
circa infligendas pœnas.
9. Richter, Christophorus Philippus: De successione feudi.
10. Richter, Christophorus Philippus: De injuriis
11. Rolpincius, Guernicus: Tractatus, quo ad principia,
partes communes et proprias, differentias, causas
et symptomata, eundem curatiōnem, officina et exper-
~~ta~~ ritus, ventitationi et dilucidationi proponit.

12. Schuidelius, Joannes: De ratione status.
13. Schroeterus, Emeritus Fredericus: De jure et facti.
ignorantia.
14. Schroeterus, Emeritus Fredericus: De investiturae materia.
15. Schroeter, Emeritus Fredericus: De dolo malo.
16. Schroeter, Emeritus Fredericus: De sententiis.
17. Stranchius, Johannes: Commentariorum ad L. Decretales
res Austriacae Discretatio I: De decisionibus in
genere. ad l. 29. C. de pactis.
18. Stranchius, Johannes: De acquisitionibus per
nos, qui sunt in potestate.
19. Stranchius, Johannes: De resolutione in specie
dicta.
20. Stranchius, Johannes: De usurariis.
21. Struve, Georg Adamus: De dolo et culpa a pro-
curatore praestanda.

22^a Struvius, Georg Adamus: De usufructu. 2 Suppl.


23^a Struve, Georg Adamus: De interdicto unde vi,
quatenus usufructuarius in eo restituitur. 2 Suppl.

1688 & 1718.

24. Ungepauer, Erasmus: De reconventionibus

25. Ungepauer, Erasmus: De compensationibus stricte
docti.

1
13
14
15
16
17
18
19
20



812

963

1658, 7

7

4

L. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA.

DE

LEGIBUS,

Quam

SUB PRAESIDIO

VIRI

AMPLISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI,

DN. M. CASPARI POSNERI,
PHYSICAE PROF. PUBL. ORDINARII,

*Dn. Praeceptoris atq; Patroni sui summò honoris &
observantia cultu prosequendi,*

Publica & placide ventilationi submittit

CHRISTIANUS PESLERUS, NEOSTA-
DIENSIS AD ORILAM,

Autor & Respondens.

Ad diem XXII. Septembris.

Horis locq; solitis.

J E N Æ,

Typis SAMUELIS KREBSII,
ANNO M. DC. LIIX.

7



Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines across the page.





Animus est, quædam de LEGIBUS proponere, eruditorumque censuræ & examini submittere. Hoc enim argumentum, ob summam utilitatē, quâ se commendat, dignum præ aliis judicavimus, cui impensiores dicaremus curas. Cùm autem arduum admodum & prolixum sit, tractatum à variis, Theologis, JCTis & Philosophis, adferemus saltim ea, quæ de ipsò in Scholis Philosophicis doceri solent, & scitu necessaria sunt JCTis ac Theologis. Quin, cùm & hæc plura atque majora sint, quàm ut ab ingenio juvenili, nondum omnia expertò, comprehendere, paucisq; pagellis includi possint, non nisi potiora, & quibus ceu fundamentis alia innituntur, carpemus, breviterque & perspicuè, quantum per nostras viriculas licebit, exponemus. Tu LECTOR BENIVOLE favebis, speramus, nostris ausis, & si in materiâ tam arduâ atque intricatâ aliquos à nobis commissos errores deprehenderis, humanitatis memor, ignosces. Nos de singulis nostram mentē dicemus liberè, huncque laborem ad RELIGIOSISSIMI IMPERATORIS (quò titulò JUSTINIANUM Suidas insignit) monitum auspicabimur
 IN NOMINE DOMINI NOSTRI
 JESU CHRISTI.

l. z. C. de
 offic. præf.
 Prat. Afr.

THESIS



THESIS I.

Exerc. I.
Sect. II.

Lib. I. de
causis L.L.
cap. IV.

I. Offic.



Redimur autem merito ab expositio-
ne nominis. Etenim, ut bene Scaliger ait,
*oportet prius vocis usum cognoscere, quò sæpenume-
ro provehimur in rei cognitionem. Et alibi: Ex in-
terpretatione nominis facilius rei ratio nota fit.*

Quod idem etiam Plato, Aristoteles, Gale-
nus, & Sapientes alii passim inculcant, hunc quasi canonem
seu regulam quibusvis docentibus præscribentes: *Omnia in-
quisitionis principium sit explicatio nominum.* Et licet Ciceronem
alicubi docere sciamus, *omnem, quæ à ratione suscipitur de re ali-
quâ tractatio, à definitione proficisci debere, ut intelligatur, quid sit, de
quò disputatur,* non tamen videtur hoc aliò sensu sumendum
vel explicandum, quàm, *ubi prius de ipsâ voce nobis satis con-
siterit.*

II. Sunt verò in expositione nominum attendenda duo:
1. id, unde nomen ad significandum est impositum, & 2. id, ad quod
significandum est impositum. Prius id vocari aliàs solet nomi-
nis *ἔτυμον*, vel *origo*, hoc autem posterius *significatio*. De
utròque seorsim agendum est, cum non modò distincta sint,
sed sæpè etiam accidat, ut id, unde nomen ad significandum est
impositum, adversetur ei, ad quod significandum est impositum, ceu

Part. I. Qu.
XIII. art.
IX. corp.

ex multis exemplis liquet, & bene notavit Thomas de Aqu-
nò in summâ suæ Theologiæ. Nos proinde, ut sequamur eru-
ditorum monita, de argumenti, quod considerandum nobis
sumsimus, nomine utrumque seorsim videbimus.

III. Quantum ergò ad *ἔτυμον*, certant de eò Gramma-
tici, & adhuc sub Judice lis est. Sunt enim, qui à *ligandò*; alii,
qui à *legendò* dictum ipsum volunt. Pro priori sententiâ stant
inter alios Scholastici, hanc adferentes rationem: *quod Lex
obliget ad agendum, sitque nihil aliud, quàm quedam regula & men-
sura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab
agendo retrahitur,* quæ ipsissima verba sunt modò citati Thomæ

I. 2. Qu. XC.
art. 1. corp.

l. c. Posteriori autem qui adsurgunt, iterum in duas scindun-
tur partes. Aliqui enim ajunt, dici ipsum à *legendò* ideò, quod
publicè

publicè legantur, scriptaq; profertur leges, ut ab omnibus legantur. Alii vero erroneam hanc originationem vocantes, à legendo vel deligendo deducunt, quoniam lex è multis, quæ fieri possunt, consultatione & consensione aliquâ legitur, (quæ explicatio Var-
 toni adscribitur, & Franc. Piccolomineo^a placet) aut (ex mente Ciceronis^b, Soti^c, Corasii^d, & aliorum) quia in ipsâ inest delectus rerum agendarum. Wolfg. Musculus^e ad primam istam sententiam infringendam addit hæc: Meo iudicio non minus incommodè lex ab eò ducitur, quod publicè legatur, quam si Regem ex eò dici putes, quod publicè regatur.

^aPhilos.civ.
 Gr.10.c.23.
^bl.de LL.
^cLib.I.de J.
 & J. Qv. I.
 art.I.cocl.I.
^din Tit. ff.
 de LL.§.3.
^ein Loc.
 com.deLe-
 gibus p.34.

IV. Inter hæc opinationum divortia licet difficile sit verum invenire, (quis enim primum inventorem, & eius animi sensa novit?) nos tamen ii adsurgimus, quæ vult dici Legem à legendò, quoniam è multis, quæ statui poterant, lecta est. Et cum hæc putamus conciliari posse etiam alteram illam, quæ pariter à legendo ipsam derivat, sed ideò, quod in eâ sit delectus agendorum. Nam hæc fini è multis legitur atque ponitur lex, ut præscribat, quid agi, quidve omitti debeat, adeoque sit quædam eligendorum regula, ceu verbis hisce ipsam describit Sotus l. c.

V. Sed missâ Etymologiâ ad eius significationem per-
 gimus, quam variam invenimus, ut miremur, D. Balthaf.
 Meisnerum p.m. scripsisse, Legis vocabulum apud profanos Aucto-
 res unò plerumq; modò usurpatum reperiri, nempe pro constitutione,
 sancitò, regulæve actionum. Contrarium enim Dictionaria ab-
 unde probant, testantia, sumi ipsum (1.) pro sanctione, decretò,
 vel præscriptò, quò imperatur vel prohibetur aliquid in vitâ, ab eò,
 qui imperandi jus & summam potestatem habet. (2.) Strictè, pro
 tali præscripto, quò imperantur ea, quæ agere in se justum & hone-
 stum, prohibentur autem, quæ agere injustum & turpe est. (3.) Stri-
 ctiùs, pro lege tali positivâ, adeoque distinctâ à lege naturali, &
 consuetudine, quam utramque inter jura non scripta vulgò re-
 ferunt. (4.) Strictissimè in Institutis Justinianeis pro eò jure,
 quod Populus Romanus Senatoriò Magistratu interrogante, veluti
 Consule, constituit, & ita oppositò aliis Romani Juris speciebus, ple-
 biscito, senatusconsulto, principum placitis, magistratum edictis,
 responsisq; prudentum: de quibus singulis ibidem pluribus

Differt.de
 Legibus
 lib. I. Qv.
 I. pag.10.
 §.7.de J.N.
 G.& C.
 §.eod. &
 seqq.

D 3 agitur.



III. de Ora-
tore.

agitur. Porro (5.) pro omni Regis, aut si qui alii ad clavum Rei-
publicæ sedent, *jussu, edicto, vel sententiâ*. Ad quem sensum
vulgò *lege agere* dicitur, qui sententiam à Magistratu latam
exequitur. (6.) Pro quavis normâ atque regulâ, ad quam aliquid
agimus: ut quando Tullius inquit, *difficilius esse oratione uti, quàm*
versibus, quod in illis certa quedam & definita lex sit, quam sequi
oporteat. Denique (7.) pro conditione. Quò modò sumit Plau-
tus in *Asinariâ*, scribens: *Agedum, istum ostende, quem conscripsisti*
syngraphum inter me, & amicam, & lenam: leges pellege. Quin com-
muniter dicere solemus: *hâc lege, hoc est, hâc conditione*.

VI. Ex variis hisce acceptionibus sola prima hujus loci
est: secundum quam quidpe nomine *Legis* venit quodcunque
decretum, sive Dei, sive hominum, penes quos est Majestas, iis, qui
iporum potestati subsunt, datum, ut sit regula seu norma actionum
iporum. Ita enim præscindit à *Lege divinâ & humanâ, scriptâ*
& non scriptâ, justâ & injustâ, quæ certæ *Legis* species sunt. Et
ut sciamus, esse, qui nullam veram legem agnoscunt, nisi
scripta sit, & ea præcipiat, quæ justa, honesta, & ex usu publico
sunt; nondum tamen cum iis facere possumus, edocti ab ali-
is, nec scripturam, nec bonitatem, ad legis, in ratione suâ ge-
nerali spectatæ, essentiam aliquid facere, sed utramque esse
ejus accidens; de quibus verò inferius commodior erit di-
cendi locus.

VII. Expeditis nunc iis, quæ circa nomen notanda
erant, ad definitionem realem accedimus. Videmus autem
& hîc in diversas partes scissos Auctores, & varias adlatas de-
finitiones. Qui in eâ sententiâ sunt, *bonitatem esse de essentiâ*
Legis, ex illâ ipsam definiunt. Et hinc laudant aliqui istam Tul-
lii: *Lex est recta ratio, quæ jubet ea, quæ sunt facienda, prohibet*
autem, quæ non sunt facienda. Alii illam quorundam Jurisconsultorum:
Lex est sanctio sancta, præcipiens honestum, prohibensq; contrarium.
Alii hanc: *Lex est norma, rectè agenda cum obligatione præscri-
bens*. Quò etiam collinare illa Thomæ de Aquinò videtur:
*Lex nihil aliud est, quàm quedam rationis ordinatio ad bonum com-
mune, ab eò, qui curam communitatis habet, promulgata*. Sed cum
hi falsâ nitantur hypothesi, (ceu Thesi præced. diximus, infra
autem

Lib. I. de LL

l. c. art. 4.
corp.

autem pluribus ostendemus) cuique facile est iudicatu, quid de eorum definitionibus sit statuendum. Formant autem & adferunt alii alias. Et quidem à multis commendatur hæc, ex doctrinâ Aristotelis (uti ajunt) extructa: *Lex est oratio vim cogendi habens.* Henningus Arnisæus, celeberrimi nominis Medicus atque Philosophus in doctrinâ suâ Politicâ ait; *Lex Lib. I. cap. XVII. essentiam consistere in hoc, quod sit jussum à summa potestate promulgatum.* Alias ab aliis datas mittimus.

IIIX. Ut autem quænam harum sit optima, aut si nulla bona est, in quo quæque peccet ac corrigenda sit, pateat, placeat aliqua præmittere, quæ sana ratio nos docet, omniumque aut plurium Auctorum consensus suppeditat. Ita enim suppositis veris & concessis, tolletur errandi occasio, facillimum autem erit, ipsius Legis essentialia eruere, & ex iis definitionem extruere.

IX. Primò igitur præmonemus: Si Philosophis sermo est de Legibus, excipi eam, quæ à Theologis *æterna* dicitur, & ipsa infinita Dei sapientia, voluntas ac providentia est, nec ab ejus essentia realiter differt. Hæc enim ab istis legibus, quas aut ferunt, aut ab aliis latas recipiunt, observandasque subditis imperant summæ potestates, toto, quod vulgò dicitur, cælo differt, cum nec præceptum sit, nec cogendi vim habeat; quæ tamen ad omnem veram legem vulgò requirunt, ceu infra pluribus probabimus. Est autem (secundum verba Thomæ de Aquinò, lib. cit.) *ratio divina sapientia, secundum quod est directiva omnium actuum & motionum.* Legis autem nomine dicitur ex amplissimo eius significato, quò venit quævis gubernandi norma atque regula. Nam (inquit supra citatus Meisnerus) *cum omnis gubernandi norma generali sensu lex dicatur, hinc non immeritò æternam istam de mundi regimine rationem, in divinâ mente conceptam & existentem, appellamus Legem, & quidem æternam, quia mens divina nihil in tempore concipit, sed æternum habet conceptum, neque Deus post primùm conditum mundum de hujus Oeconomia cogitavit, sed ab æterno, uti rerum creationem decrevit, ita creaturarum gubernationem disposuit.* Nec quenquam movere debet, quod Lex hæc à Deo, & Dei decretum vulgò dicatur.

L. II. Qv.
XCIII. art.
I. corp.

de LL. Diff.
Lib. II. Qv. I

dicatur, à Deique essentiâ, tanquàm aliquid ab eâ ortum,
distinguat. Nam hæc omnia accipienda sunt ex nostrò
intelligendi modo, & *ναὶ ἀνθρώπων ἀδεύων*, ceu idem Meisne-
rus monet. Adde his, quæ de decretis Dei adversus Vossium
doctissimè disputat Christoph. Scheiblerus in Opere suo
Metaphysicò.

Lib. I. Qu.
III. Sect. I.
Lib. II. c. III
Tit. VI. art.
II. punct.
VI. n. 265.

X. Secundò præmittimus: Legem, de quâ sermo est Po-
liticis, esse decretum quoddam, quò præscribitur & impera-
tur aliquid agendum aut omittendum. Patet hoc ex signifi-
catione vocis Thef. VI. proposita, & ita minus in se continet
dubii. Distinguitur autem eò Lex à consiliis, adhortationi-
bus & dehortationibus, quibus monstratur quidem, quid fa-
ciendum vel fugiendum sit, sed sine imperio. Distinguitur
etiam à permissionibus, cum nec his aliqua vis aut obligatio
competat.

XI. Tertiò præmittimus hoc: utut Lex sit talismodi de-
cretum, non tamen omne summæ potestatis decretum esse
legem. Et præprimis arcentur, istòque nomine excluduntur
specialia præscripta vel iussa illa, quibus certis individuis cer-
tum quid præcipitur. Ut e.g. quando Noah iustus est extrue-
re arcam; Abraham immolare filium; Moses abire ad Pha-
raonem, & educere populum Israëliticum ex Ægyptò; aut
quando hodiè à Principe imperatur alicui, vel aliquibus, ut
illatum damnum, aut mutuo sumtam pecuniam restituant.
Si enim hæc singula leges essent, singulis diebus in una civi-
tate ferrentur leges; quod nemo facile dixerit. Sunt autem
potius legum interpretationes, aut ex constitutis legibus di-
ctæ sententiæ, quam leges. Hæ enim non modò regulam vi-
vendi præscribunt subditis, eorumque actiones quasi coër-
cent, (quò verbò Diod. Siculus de iis loquens utitur) sed &
pressis promittunt auxilium & levamem, immorigeris autem
& delinquentibus minantur pœnam. Quod M. A. Cassiodorus
elegantè docet, dum inquit: *Quid potest esse felicius, quàm ho-
mines de solis legibus considerare, & casus reliquos non timere? Jura
publica certissima sunt humane vite solatia, infirmiorum auxilia,
potentum frena. Nec minus Modestinus: Legis virtus, ajens, hæc
est: imperare, vetare, permittere, punire.* XII. Por-

Gen. 6, 14.
Cap. 22, 2.
Exod. 3, 11.

L. 1. c. 2. f.

Lib 3. Ep.
17. m.

I. 7. ff.
de L. l.

XII. Porro quartò ponimus: Legem ideò dari, ut iis, quibus datur, sit loco normæ & regulæ, ad quam actiones suas forment & instituant. Hoc communi Auctorum consensu firmatur. Et inde docent Politici, cùm subditorum sit, vivere ad voluntatem imperantium, legibus aperire imperantes voluntatem suam subditis, eosdemque in officio retinere.

XIII. Addimus huic quintum: Legem non tam esse, quàm continere præceptum de agendis vel vitandis in vitâ. Fluit hoc manifestâ consequentiâ ex antecedentibus. Diximus enim, *Lege, tanquàm decretò præscribi & imperari aliquid.* Thef. 10.
 Item, *legem poni locò normæ & regulæ actionum.* Th. præc. Sicut itaque id, quod vel quò quis aliquid præcipit, non est ipsum id quod præcipitur: ita nec lex est ipsum præceptum, sed potius oratio, quâ normam vivendi subditis Majestas præscribit.

XIV. Sextò monemus: Quemadmodum lex imperat, vetat, permittit, & punit: ita non præscribi nisi agentibus liberis, quæ justum inter & injustum distinguere, illud eligere, hoc autem respuere nôrunt, adeoque sic laudis & vituperii, præmii pœnæve sunt capacia. Sunt autem in hâc rerum naturâ talia agentia soli homines: Ergò his saltim ponuntur leges, nequaquam verò brutis. Quid enim iis dicas, quæ nec intelligunt, quod dicis, nec dictis morem gerere possunt? Præclare Hesiodus:

Τὸν δὲ ὃ ἀνθρώποισι νόμον δέταξε κρονίων·
 Ἰχθύσι γὰρ, καὶ θύρεσι, καὶ οἰωνοῖς πετεινοῖς
 ἐδόμεν ἀλλήλας; ἐπεὶ ἔδίκη ἐστὶ μὲν αὐτῶν.
 Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην ἢ πολλὸν δεῖσθαι.

h.e. *Humano generi nam Lex datur à Jove summò:
 Quippe fera, pisces, avium genus altivolantum,
 Mutua se vertunt in pabula, juris egentes.
 Justitia at nobis, quæ res est optima cessit.*

XV. Septimò notari volumus: Utut homini scribatur lex, eam tamen non imperare omni, multò minùs omnibus ipsius actionibus. Infantes enim & furiosi nullâ utuntur ratione,

Lib. 2. c. 6.
t. 59.

tione, neq; quæ agunt voluntariò & ex electione. Quæ etiam causa est, quod eos Aristoteles beatitudinis civilis, fortunæ & infortunii capaces esse negavit. Nam, ait in *Physicis*, cum felicitas actio quadam sit, siquidem bona est actio, ea profectò, in quæ actio non cadit, nec fortuitam quidem rem ullam possunt efficere. Ob eamque causam neque inanimatum ullum, neque bellua, neque infans, quoniam delectum non habent, quidpiam agunt eorum, quæ fortunâ eveniunt: nec item fortuna grandi prosperitate, aut excellenti infortunio, nisi quadam similitudine, utuntur. Et in *Ethicis* ad

Lib. 1. c. 10.

Nicomachum: Meritò igitur neque bovem, neque equum, neque aliud animal ullum beatum dicimus. Nulli enim eorum esse potest talis functionis communitas. Atque ob hanc causam ne puer quidem est beatus. Nondum enim per ætatem ad talia agenda satis aptus est. Qui autem beati dicuntur propter spem, quam de illis habent homines, tales prædicantur. Similia docet alibi sæpies. Deinde nec hominis, etiam qui ratione utitur, omnes actiones proficiuntur ex ratione, nec sunt tales, quibus imperare homo possit. Habet enim aliquas communes cum plantis, quæ vulgò vegetativæ dicuntur, & nullò modò sunt liberæ. Habet item alias communes cum brutis, quæ scilicet ab animâ sensitivâ veniunt & pariter verè liberæ non sunt, utut aliqua rationis atque voluntatis nutui pareant, & id propter liberæ dicantur per participationem. Proinde veluti non omnia, quæ agit homo, agit quatenus est homo, aut (ut cum Thomâ loquamur) non omnes actiones hominis sunt humanae, sed ea solum, quarum ipse est dominus, ita his solis lex, tanquàm norma ac regula, præscribitur.

l. 2. Qu. I.
art. 1. corp.

XVI. Tandem octavò addimus: Sicuti lex summæ potestatis decretum est, faciendæ vel fugiendæ præcipiens: ita ut eos, quibus scribitur, faciendæ ac fugiendæ præcipit, ad morem gerendum obliget, requiri, ut illis innotescat. Ignotum enim (secundum tritum dicterium) nulla cupido, nulla fuga; nec potest voluntati alicujus vel respondere, vel refragari, qui nescit, quæ sit illa voluntas. Proinde docent vulgò Politici, Legem, si à Principe concepta est, debere promulgari, ut subditis innotescat; tuncque institui, quando promulgatur, ante

recti salva maneat essentia aut primus conceptus legis, patet, quod ea in definitione sit superflua. Manet autem essentia salva, etiamsi non concipiatur *rectitudo*. Nam si de lege concipio, quod sit *decretum summæ potestatis, subditis normam & regulam præscribens*, adeoque (ut ipsius Tullii verbis utamur) *jubens ea, quæ sunt facienda, prohibens autem quæ non sunt facienda*, omnia ejus essentialia concipio. Ergò non opus est, ut addam *rectitudinem*, sed hanc dum addo, facio definitionem vitiosam. Alia plura, quæ moneri possent, mittimus.

XIIX. Ejusdem farinae sunt etiam secunda ac tertia, competentes saltim ii legi, quæ justa est, quatenus justa est. In secundâ verò dum additur vox *sancta*, augetur error, cum quod eâ notatur, inculcetur etiam verbis sequentibus. Sanctio enim honestum præcipiens, contrariumque prohibens, profectò est sanctio sancta.

XIX. Quartam, à Thomâ adlatam, absurditatis jamdudum convicit Gregorius de Valentia, demonstrans, ipsam quibusvis Principum consiliis, quæ propriè nec leges sunt, nec vim obligandi habent, competere, & ita latiore esse definitò. Addimus nos 1. eam etiam specialibus quibusdam jussis ac decretis competere: ut quando Rex e. g. bellum decernit boni publici gratiâ. Hoc enim decretum pariter ordinatio est, ad bonum commune, ab eò, qui curam civitatis habet, promulgata. 2. Non autem competere eam Legibus in Rebuspublicis corruptis vigentibus, quippe quæ non tam respiciunt bonum commune vel publicum, quam proprium imperantium. Quis verò has legis nomine privabit? Quis in Rebuspublicis illis aliquam legem vigere negabit?

XX. Superfunt quinta & sexta, à magnis datae & approbatae Viris. Verùm, quod pace illorum dixerimus, videtur, ac si & illæ definitò latiores sint, nec ejus essentiam sufficienter explicent. Nam de singulis Regum, aut si qui alii imperant, edictis & præceptis dicere licet, quod sint *jussa à summâ potestate profecta*, item *orationes vim cogendi habentes*. Quin inest vis cogendi etiam foederibus. At verò nec hæc, nec illa
inter

inter leges propriè dictas referenda esse, præter communem Auctororum consensum etiam sana docet ratio; & de illis (specialibus summarum potestatum præceptis) id supra ostendimus. Thef. 11.

XXI. Neque verò putandum est, hujus sententiæ Aristotelem fuisse. Etenim *Lib. X. Ethic. Nicomach. cap. ult.* ab Ethicis ad alia abitum parans, Legum (quas ad perficiendos bonos mores, rectamq; liberorum educationem sumè necessarias esse docet) mentionem quidem facit, & inquit, *vim & med. cap. potestatem habere cogendi, ἀναγκαστικὴ δύναμις*, ut propria ipsius verba sunt; verum non docet aut vult, ex potestate illâ, & quidem solâ, Legem esse definiendam. Quid? quod nec de omnibus legibus loquatur, sed saltim de iis, quæ feruntur, & ferri debent in Republicâ bonâ, bonum publicum quærente & curante? *In hac qui bonus civis futurus est, (inquit) oportet benè educari, & adveseri, deinde sic honestis studiis teneri, & neque invitum, neque volentem res malas & flagitiosas admittere. Quæ quidem obtinebuntur, si in vitâ secuti fuerint aliquam mentem, & rectum ordinem, robur in se habentem. At verò (addit) in paternò quidem jussu non sufficiens vis atque firmitas inest, neque omninò in unius viri jussu, nisi sit Rex, aut Regi similis. Lex autem vim ac potestatem habet cogendi, cum sit ratio ab aliquâ prudentiâ & mente profecta.* Ecce, de quibus Legibus sermo sit Philosopho! Quemadmodum itaque aliàs, quæ de specie dicuntur, de genere dici nequeunt, cum genus de omnibus speciebus prædicetur æqualiter, secundum monitum Philosophorum: ita nec quæ seorsim Legi rectæ competunt, & de eâ dicuntur, tribuere licet Legi sumtæ in communi. Porphyr. I. sag. c. 9. §. 2.

XXII. Ex his itaque constat, nullam ex adlatis definitionibus esse sine vitiò, sed quærendam & adferendam nobis aliam meliorem. Legimus autem à B. D. Conrado Horneio Philos Mor Lib. 4. c. 3. §. 13. hanc proferri: *Lex est decretum sive Dei, sive ejus, penes quem Majestas est in Republicâ, vel naturæ ipsi impressum, vel sufficienter aliàs sancitum & constitutum, juxta quod vivatur, ita ut simpliciter expedit, & pium ac honestum est, vel expedit huic saltim aut illi Republicæ. Quæ quin omnia Legis essentialia contineat, iique omni*

B 3

& soli

& soli competat, nullum est dubium. Sed cum valde proluxa sit, & mentionem faciat *Dei atque hominum, qui leges ferre possunt*, veremur, ne & ipsa à rigidò regularum Logicarum observatore examinata, alicujus vitii possit non accusari modò, sed & convinci. Definitio enim debet esse brevis; & quod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura.

XXIII. Nos, salvò judicio aliorum, ita definiri posse putamus: *Lex est decretum summae potestatis, actionibus humanis regulam, ad certum aliquod ipsas obligantem, prescribens*. Hæc etiam continet omnia, quæ ad legis essentiam vulgò requirunt, & reverâ spectant, tribuique potest omnibus ejus speciebus, nulli verò, quod ejus nomine non venit. Quod ut melius pateat, singula in eâ posita verba considerabimus.

Th. 21.

XXIV. Dicitur autem I. quod sit *decretum*. Hoc idem est quod *statutum, sententia*. Decerno enim (unde illud oritur) est *definitio, de magnis rebus sententiam profero, statuo, item ex potestate constituo*. Quale decretum Legem esse, constat ex Thesi X. Innuitur verò eò, ipsam esse foetum rationis, sive, ut Aristotelem loqui audivimus, *rationem ab aliqua prudentia & mente profectam*. Et in hoc convenit Lex cum specialibus illis summarum potestatum jussis & præceptis, quæ certis individuis dantur, & leges propriè non sunt, ceu Thesi XI. monuimus. Differt autem & distinguitur à *fœderibus*, quæ (hòc sensu) decreta dici nequeunt.

XXV. Dicitur II. quod sit *decretum summae potestatis*. Hujus enim est Leges ferre & instituire. Distinguiturque per hoc Lex à decretis earum personarum, quæ potestatem quidem & imperium in aliquos habent, sed ab aliâ superiori dependens, adeoque non summum. Ut e.g. si Paterfamilias aliquid decernit, suæque potestati subjectis imperat. Hoc enim *decretum*, aut etiam *normam actionum, ad certum aliquod ipsas obligantem* voces licet, *legem* vix licet. Ubi tamen excipimus: *si id alicui à potestate superiori commissum vel concessum sit*. Nam, ut notum est, communicatur quandoque Majestas. Unde si, quibus communicata est, potestate illâ utuntur, & aliquid sanciant, id (præsentibus requisitis cœteris) Legis nomine

nomine vocari posse non negamus. Est verò etiam tunc decretum illud summæ potestatis.

XXVI. Porro III. dicitur: *actionibus humanis regulam præscribens*. Ad hoc enim ponitur & instituitur lex, ceu Thesi XIII. dictum. Attinet autem non unum, aut aliquos, sed omnes potestati illi, à quâ fertur, subjectos, & quos ita vivere, vel hæc agere par est. Cui quidem non obstat, quod non semper omnibus idem imperetur, sed quandoque certis certum. Nam & illa Lex, quæ certis certum, sive certam actionem præscribit, norma est, & omnes attinet; omnes scilicet ejus officii, status, vel conditionis. Quemadmodum enim in Republicâ non convenit omnia agi ab omnibus, aut eòdem modo omnes vivere: ita penes summam potestatem est, quid huic, illi, aut isti agendum velit præscribere. Quod decretum quidem utut non singulos concernat subditos, non minùs tamen lex est, ac est illud quod singulos concernit. Differtque per hoc lex à præceptis, quæ singulares (ut ita loquamur) actiones concernunt, & decreta quidem sunt summarum potestatum, non autem Leges.

XXVII. Iisdem verbis simul quoque monetur, decretum illud debere promulgari, & ita notum reddi subditis. Qui enim, quid fieri velit, secum saltim deliberat & decernit, aut etiam chartis committit, eos verò, ad quos attinet, celat, verè nihil sancit, præscribit aut imperat. Necessum autem est, ut iis, à quibus fieri vult, significet, adeoque sic promulget conceptam secum sententiam, & quid fieri velit, præscribat. Quod benè monuerunt ii, qui dixerunt, *Leges tunc institui, quando promulgantur*. Tunc enim nota fit subditis superiorum voluntas, & ad obsequium præstandum obligat.

XXIIX. Dicitur verò IV. normam illâ actiones humanas ad certum aliquod obligare. Intellige, ut hoc agant, non autem ejus oppositum. Nam ut ex Physicis ac Ethicis constat, est homo agens liberum, positus omnibus ad agendū requisitis potens agere, aut non agere, aut etiam agere contrarium. Lege itaq; , quæ normam actionibus ipsius præscribit, obligatur ut hoc agat, non autem aliud. Ut e.g. cum in hominis potestate
fit,

fit, bona alterius concupiscere, & non concupiscere, Lex divina vult, vt *non concupiscat*, eoque sic hanc actionem eius ad certum aliquid obligat, ita ut, si ad appositum (concupiscentiam) abit homo, in legem illam ejusque latorem peccet, & pœnæ reus fiat. Idem patet etiam exemplis aliis. Estque talis dictatura & coactio ad omnem legem necessaria, eaque quæ desituuntur, sunt quasi vanæ sine viribus iræ, legis nomine indignæ. Quin per eam distinguitur lex à consiliis & monitis, quæ etiam, quid agendum aut fugiendum sit, monstrant, ita tamen non obligant, ut contra ea agere sit non rectè agere, aut peccare.

XXIX. Hic igitur est verborum in definitione sensus. Quò observatò liquet, verum esse, quod diximus Thef. XXIII. definitionem nempe nostram continere omnia, quæ ad legis essentiam spectant, & ex quibus ipsa explicari potest; competere etiam omnibus ejus speciebus, nulli verò quod ejus nomine non venit. Et quidem continet Legis formam, materiam, efficientem & finem. Nam dum dicit, Legem esse *decretum*, exprimit formam ejus. Deinde dum ait, *esse decretum summæ potestatis*, nominat ejus efficientem. Tertio, si porro inquit, quod præscribat *normam, ad certum aliquod obligantem*, notat ejus causam finalem. Et denique dum addit, normam illam concernere *actiones humanas*, monstrat Legum proprium *objectum, seu materiam circa quam*. Quæ omnia ex dictis clara sunt.

XXX. Pergimus nunc ad Legis genera seu species. Sunt verò nec de iis satis certi Auctores, sed hic has, ille illas, aliusque alias adfert & constituit. Nos cum iis facimus, qui primò omnium Legem in *divinam & humanam*, deinde divinam iterum in *naturalem, & divinam specialiter dictam seu positivam*, humanam verò in *gentium & civilem* dividunt. Quæ divisio quidem à causa Legis efficiente, quæ vel Deus est, vel homo, petitur. De singulis aliqua dicemus.

XXXI. Primò, Naturalis Lex communiter ex Ethicis Aristotelicis solet definiri ea, quæ ubique eandem vim habet, & non, quia ita videtur, aut non videtur. A posteriori;
ut

Lib. 5. c. 10.
al. 7.

ut bene B. Hornejus indicat. Nam *actus, quos precipit, (Hugonis l. c. 5. 27. Grotii verbis) debiti aut illiciti sunt per se, atque ideo à Deo necessario præcepti aut vetiti.* Valet ergò suâ vi, & per se, non verò, quia hic aut ille ita statuit. Valet ex veritate, non ex opinione. Valet item omnibus in locis, omnique tempore, *nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac,* quemadmodum scitè Tullius dixisse fertur Librorum, quos de Republica conscripsit, nosque hodiè desideramus, tertio.

XXXII. Quandoquidem verò definitio hæc Aristotelica à posteriori, uti diximus, data est, placet nonnullis aliam à priori formare. Gregorius de Valentia vult, esse *naturale rationis nostræ iudicium seu dictamen, quò per lumen nobis ab æterna lege impressum & inditum evidenter cognoscimus, ea esse faciendâ, quæ ita sunt recta, & naturæ nostræ consentanea, ut ea negligere sit deforme, & naturæ repugnans, & contrâ, ea esse vitandâ, quæ facere turpe sit, & naturæ naturali minimè congruum.* Quibus similia & Hugo Grotius habet, dum ait: *Jus naturale est dictatum rectæ rationis, indicans, actui alicui, ex ejus convenientiâ aut inconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali, inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, ac consequenter ab autore Natura Deo talent actum aut vetari, aut precipi.* Qui quidem Auctores nequaquam Aristoteli contradicunt, sed ejus potius mentem & fundamentum, cui dictam definitionem suam quasi superstruxit, exponunt & explicant.

XXXIII. Ut autem omnibus his major lux accedat, simul etiam Legis hujus dignitas, vis & potestas meliùs perspicatur, sciendum est, efficientem ejus esse ipsum supremum Deum. Hic enim veluti omnis boni auctor & amans est, ita hominem, quem condidit, (corporum hujus mundi omnium præstantissimum, & ipsius Aristotelis testimoniò, divinitatis quodammodo particeps) non nisi bonum semper quærere & agere voluit. Eâque de causâ menti ipsius boni malique discretricem facultatem vel potentiam indidit, ut ejus beneficiò quod bonum est, eligat, amet, & prosequatur, malum verò detestetur, aversetur & fugiat. Omnes proinde qui talem facultatem in se habent, (habent autem omnes) quia eam

C

habent

habent, bonum agere tenentur. Et ad hoc obligat ipsos lex hæc naturalis, cum ipsis quasi connata, & ipsorum cordibus inscripta & impressa.

XXXIV. Deinde sciendum etiam est, ipsam idem præcipi, quod præcipitur in Decalogo. Unde plurimi etiam Doctorem ejus sunt sententiæ, Decalogum esse ipsam illam legem naturalem, excepto solo præcepto tertio, quantum ad sanctificationem Sabbathi. Nam (ajunt) *etiamsi jure naturali ad Deum certò die colendum obstringimur, determinatio tamen diei sabbathi ex lege divinâ positivâ Veteris Testamenti est. Unde etiam in Novo Testamento in diem Dominicum transmutatus fuit.* Et utut Decalogum solenniter in monte Sinai promulgavit, Mosique dictavit Deus, id tamen dictis non obstare volunt. Nam (inquiunt porro) *repetita tunc est, & firmiori quasi ratione præscripta, ut contumaces efficacius obligaret. Quò ipsò tamen nequaquam facta est positiva, sed est mansitque ipsa illa naturalis, & cordibus humanis inscripta lex, repetita tantum, & firmiori sanctione stabilita.* Sed de his ut plura dicamus, instituti nostri non est.

XXXV. Sunt autem præcepta ipsius duplicis generis, alia ut principia, alia ut conclusiones. Principia dicuntur illa, quorum veritas & necessitas absque prolixo discursu patet, & ex quibus deducuntur alia. Conclusiones verò, quæ ex istis, ut principiis, eliciuntur vel deducuntur. Illius generis sunt, quando præcipitur e. g. *honestè esse vivendum, Deum esse colendum, Parentes honorandos, neminem ledendum, suum cuique tribuendum, alteri faciendum, quæ nobis fieri velimus, ex adversò alteri non faciendum, quod nobis fieri nolimus, &c.* Hujus verò: *non esse occidendum, neminem esse defraudandum, non esse falsum testimonium dicendum, &c.* E quibus posterioribus quidem (B. Hornejo docente) quædam ex dictis principiis promptè & facillè fluunt, adeoque iis propinquiores sunt, uti sunt omnes quas memoravimus; quædam verò ab iis sunt remotiores, & difficilius nec nisi à doctis eliciuntur. Quomodo e. g. Juris naturæ est, ut pecuniam, quam mutuò accepisti, eadem bonitate, quâ accepisti, restituas. Hoc enim utut ex principiis istis fluat, quomodo tamen fluat, non ab omnibus statim cognoscitur.

XXXVI.

l. c. §. 26.

XXXVI. Spectant ergo ad Legem naturæ omnium virtutum & vitiorum actiones, quarum illæ imperantur, hæverò prohibentur. Quæ inter præcepta tamen hoc intercedit discrimen, quod negativa seu prohibentia attineant non modò omnium vitiorum actiones, sed & omnes, (nulla enim in se operatio vitiosa est, quam fugere & averfari à naturâ non prohibeamur, adeoque sic contra naturam sunt omnes ac singulæ, quot ac quæcunque sunt) affirmantia autem, seu quæ imperant, concernant quidem omnium virtutum actiones, sed non omnes, cum ex ipsis quædam à solò humanò institutò sint, quædam etiam liberè, & sine obligatione suscipiantur. *Et hujusmodi sunt (loquimur iterum verbis D. Horneji) l. c. §. 28. quæ secundum virtutem heroicam fiunt. Etsi enim nihil illis est pulchrius, nemo tamen ad ea obligatur. Ita continere se, & temperanter agere etiam tum, cum voluptatem licitè capere quis poterat ex re aliquâ, lex naturæ non imperat. Unde qui ex heroicâ quâdam temperantiâ facit, secundum virtutem quidem agit, sed ultrò sine obligatione.* Similiter abstinere cibo & potu ex mandato Magistratus tunc, quando licebat aliàs eò frui, actio virtutis est, nec tamen ad eam quis obligatur vi legis naturæ, sed præceptò tantum humanò. Alia plura de hóc argumentò differit ibi laudatus Auctor, quæ possunt videri.

XXXVII. Et hæc quidem de lege naturali dicta sint. A quâ antequàm abeamus, non possumus quin breviter saltem eos tangamus, qui ipsam *non propriam soli homini, sed communem omnibus animalibus* statuerunt. Cujus sententiæ cum Ulpiano ipse sacratissimus Imperator fuisse fertur, dum l. i. ff. d. l. in Institutis ita scripsit: *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in Cælo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque scemina conjunctio, quam nos matrimonium appellamus. Hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus etenim cætera quoque animalia istius juris peritâ censeri.* & l.

XXXIIX. Enim verò quid de his statuendum sit, satis manifestum est ex iis, quæ suprâ Thef. XIV. diximus. Nimirum

L. i. ff. Si
quadrupes
paup. feciff.
dicat :

Th. 36.

lib. 6. c. ult.

Exerc. I.
quæst. 3.

mirum, cum ratione & appetitus libertate careant bruta, non possunt dici juris & injuriæ capacia. Quod idem quoque ex illâ lege probari potest, quâ pauperiem quidem quadrupes facere posse dicitur, sed non injuriam. Deberet autem injuriam inferre posset, si juris esse capax. Et videntur ab Ulpianô confundi esse à natura & esse à lege natura, quæ longè sunt diversissima. Nam, quemadmodum ex dictis patet, à lege naturæ ea tantum esse dicuntur, quæ precipit natura, ut fiant vel non fiant, quæque adeò sine peccatô omitti vel agi nequeunt. At verò à naturâ sunt etiam ea, ad quæ natura inclinât, aut quæ honesta esse indicat, etsi non debita. Et diximus paulò ante, non omnes actiones secundum virtutem esse à lege naturæ imperatas. Interim quò minus omnes, & etiam illas, quæ à lege naturæ non sunt, dicamus esse à natura, quatenus natura eas honestas esse indicat, adeoque in eas fertur & propendet, nihil videtur impedire. Quid? quod omnem virtutem naturalem vocet ipse Philosophus in Ethicis ad Nicomachum? Non licet itaque argumentari: *A naturâ sunt maris & foemina conjunctio, liberorum procreatio. E. sunt à lege naturæ.* Quanquam etiam, licet in hominibus sint à lege naturæ, exinde non sequatur, quod, quia etiam in brutis cernuntur, Jus naturæ sit id, quod natura omnia animalia docuit. Natura enim hominum longè est alia à naturâ brutorum, nec ab hac ad illam, aut ab illâ ad hanc valet consequentia. Aut cur non etiam concludunt, quoniam ea, quæ secundum legis naturæ dictamen fugiunt & abhorrent homines, non autem bruta, & ita non omnia animalia, illa fugere non esse juris naturalis? Par enim utriusque videtur esse ratio.

XXXIX. Placet hæc, quæ diximus, confirmare auctoritate Magnifici Dn. D. Georgii Franzkii, Jcti longè famigeratissimi, cujus in Exercitationibus Juridicis aurea verba hæc sunt: *Communis Dd. opinio est, jus naturale esse hominibus cum brutis animalibus commune, propterea, quod ab Imperatore Justiniano in pr. d. I. N. G. & C. & Icto in l. 1. §. 3. de J. & J. ita definiatur, & per exempla subjecta, quæ omnia brutis communia sunt, declaretur. Unde negatur, jus hoc humani generis proprium esse,*

esse, d. pr. in fin. Verum si rectam rationem principiorum juris nostri
penitus intuemur, certum evadit, nullum jus, quale etiam sit, sine ra-
tione subsistere, adeoque in quocunque subjecto ratio non reperitur, illud
etiam protinus juris incapax existimari. Ea autem ipsa cum bruti ani-
mantibus denegetur, & ipsum jus proprie illis attribui nequit. 1. Inter
quos jus est, inter eos etiam equum & bonum, lex & justitia est, Arist. 5.
Eth. c. 6. Ex duobus enim omne jus constat, equitate & autoritate, quo-
rum illa bonos, haec etiam male feriatos ad ejus observantiam agit. Atqui
inter bruta nec equum & bonum, nec lex & Justitia ulla est, dum bruta
impetu potius quodam natura, quam certa ratione conjunguntur. Nec
mediocritatem in actibus suis observant, nec aequalitatem, quod pro-
prium est aequalitatis. Et justitiae habitus bonus est, qualis non potest esse
sine ratione. Ut igitur equitas & justitia naturalis esse nequit sine ra-
tione, ita nec ipsum jus naturale. 2. Quia bruta expertia sunt inju-
riae. Cum enim damnum dant, non injuriam facere dicuntur, sed paupe-
riem. At tritum est, contraria, qualia sunt injuria & jus, ad idem sub-
jectum pertinere. Hinc nec infantuli, nec furiosi & mente capti, cum usu
rationis destituantur, firmiter jure naturali obligantur, aut vim dam-
numque inferentes proprie injuriam facere dicuntur. Haec ille, quibus
similia etiam Joach. Mysingerus docet, contendens, voca- Schol. in d.
bulum Juris ab Ulpiano in significatione largissimam, quam l. i. Inst. de J.
omni instinctu vel inclinationi naturali sumitur, esse accipit. N. G. & C.
ptum; caeteroquin Jus verum & proprie naturale (ita sc. lo-
quitur) hominibus tantum convenire, ab eoque non esse vel
maris & foeminae conjunctionem, vel similis procreationem, vel id
genus aliud aliquid, sed amorem parentum, patriae, obligare ad
antidota, servare pacta, stare promissis, neminem ledere, & caetera id
genus. Qui idem etiam Jus hoc ita definit: Jus naturale est, quod
natura, atque adeo Deus ipse, omnes homines in creatione prima qua-
dam praecipua & formulas honestatis docuit. Sed de his ab aliis
dicuntur plura.

XL. Secundo, per legem divinam specialiter dictam seu
positivam quidam intelligunt omnem eam, quam speciali
patefactione Deus promulgavit. Quo sensu ipsa etiam lex
naturalis positiva est: nam & ejus praecipua Deus promulga-
vit, partim Decalogo, partim legibus aliis. Sed quod ob
C 3 hanc

hanc factam repetitionem ac promulgationem ipsa non sit reddita positiva, diximus supra Th. XXXIV. Alii proinde per legem illam divinam positivam intelligunt solum illam, quam Deus Opt. Max. non quod aliquid sua natura bonum aut malum contineret, sed quia sic libuit, pro liberrima sua voluntate, dedit ac constituit. Quo sensu quidem sumpta a naturali manifesta ratione distinguitur, ut proinde nec positivam naturalem, nec naturalem positivam liceat appellare. Et talismodi sunt e.g. illae de sacrificiis latae; de quibus agere ad interpretes Sacrorum attinet.

XLI. Tertio, voce legis gentium iterum non omnes idem intelligunt. Quidam enim ita vocant omnem eam, quam gentes vel omnes, vel plures observant & sequuntur. Et hoc sensu sumitur in Institutis Justinianeis, ubi scribitur:
§. 2. de I. N. G. & O. *Jus Civile a Jure gentium distinguitur, quod omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque Jus Civile, quasi jus proprium ipsius civitatis. Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos peraeque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utuntur. Item in Digestis, ubi definitur ea, quam gentes humana utuntur, & ad eam revocantur inter alia etiam religio erga Deum, ut parentibus & patriae pareamus, vim & injuriam propulsemus. Quo pacto quidem nihil differre videtur a lege naturali. Haec enim est ipsa illa, quae apud omnes populos peraeque custoditur, sive quae omnibus gentibus a Deo est praescripta. *Omni in re (sunt verba Tulli) consensio omnium gentium lex naturae putanda est. Et Lib. de dict. Socr. facit huc elegans discursus apud Xenophontem, dignus omnino qui legatur: Nostine etiam, o Hippia, leges quasdam esse non scriptas? Nempe eas dicis, quae apud omnes gentes peraeque observantur. Potesne igitur dicere, illas ab hominibus latas esse? Quomodo? qui neque unum in locum omnes convenire, neque sermone uno uti possint? A quibus ergo leges istas latas arbitraris? Equidem a Diis arbitrator eas datas hominibus fuisse, Etenim apud omnes gentes prima illa posita lex est, ut Deum veneremur. Praeterea lex ubique est, ut bono-**

honorem parentibus deferamus. Confer B. Horneium, qui idem l. c. §. 31. hoc pluribus demonstrat.

XLII. Alii proinde legem gentium sumunt strictius, pro eâ, quam plures gentes quasi ex aliquo compacto sibi inter se constituerunt. Et ad distinctionem ejus à lege naturali, vocant *legem vel jus humanum*, quod plurium hominum pars ipsam receperit, item *Jus gentium secundarium, ex primario & antiquo* (quomodo appellant jus naturale) *profectum*. Nam (inquit modò citatus Mynsingerus) *non lege naturali ab initio, ac* I. c. *ultrò judicante ratione ita fuit, sed usu exigente, & ex humani convictus necessitate, discursu quodam practico rationis introductum est.* Fitque ejus mentio etiam in Institutis Justinianeis, eodem §. 5. quò diximus locò, ubi dicitur: *Jus gentium omni humano generi commune est. Nam usu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humana jura quedam constituerunt.* Et ita sumit quoque Wesenbecius in Paratitlis, *Jus gentium (agens) illud nobis esto, quod non* Tit. de J. & *ex notitiâ simplici nobiscum nascitur, sed composita, h. e. ex ratiocinatione commodorum vitæ & societatis à sapientibus multò rerum usu variâque doctrinâ investigatum, excultum & introductum, in omnium gentium usum pervasit, & propter evidentem utilitatem ab omnibus per æquè custoditur: ut sunt distinctiones dominiorum, ædificiorum collationes, communitates vitæ, indicia belli, captivitates, servitutes, manumissiones, jura contractuum, obligationum, successorum, & si quæ sunt similia.* J. §. 16.

XLIII. Tandem quartò, Lex civilis dicitur quæcunque, quæ ab humana potestate subditis præscribitur. Vocatur à nonnullis alio nomine *lex statuaria*, & est iterum duplex, vel *universalis*, cujus valor per universam rempublicam se extendit, vel *particularis*, cujus vis tantum ad aliquam Reipublicæ partem porrigitur.

XLIV. Versantur autem hæ Leges omnes (tàm positivæ divinæ, quàm humanæ) circa actiones in se indifferentes, (h. e. nec bonas, nec malas, quæque adeò sive instituantur, sive omittantur, nihil referret) & à liberâ summæ potestatis, à quâ feruntur, voluntate dependent, ab eâque tolli, mutari & laxari pro lubitu possunt. Quemadmodum etiam videmus, *Lex est vel fundamenta-
ris vel non fundamenta-
ris. Illa triplex nomen inde
Nuda sit publicæ salutis, ut
ad unum qd. fundamentum, no
in imperantibus præscribit
Non fundamentalis sub-
sape utitur avonda præscribit.*

sapè multas non mutari solùm, sed & penitus abrogari. Quò ipso differunt à lege naturali, quæ actiones ideò præcipit vel prohibet, quoniam ex se & ratione sui bonæ sunt vel turpes, & ita decent vel dedecent. Unde nemo etiam ipsi imperat, nemo eam mutare, corrigere, vel tollere potest, quippe quæ non magis mutabilis est, ac DEUS ipse, ipsissima veritas & bonitas.

XLV. Porrò, dividitur etiam Lex modis aliis, nempe 1. in *affirmantem & negantem*, 2. *scriptam & non scriptam*, & 3. in *justam & non justam*. Affirmans ea est, quæ præcipit aliquid agi aut fieri. Negans, quæ aliquid fieri prohibet. Scripta, quæ literis tradita, aut æri incisa, aut modò aliò legenda proponitur. Non scripta, quæ tali quòdam modò promulgata non est. Quæ ipsa si tacito Majestatis consensu, non uno temporis puncto, sed longo usu inducta est, appellatur *consuetudo*. Denique justa vel recta ea, quæ bona præcipit; non justa quæ mala.

XLVI. Moventur hinc arduæ quæstiones: *An detur lex non scripta?* item, *an aliqua non justa?* Etenim, ut supra monuimus, contendunt aliqui, tam scripturam, quam bonitatem esse de legis essentiâ, & nullam esse legem, nisi quæ scripta sit, & bonum præcipiat. Secundum quos proinde non licebit legem in scriptam & non scriptam, justam & non justam distinguere.

XLVII. Verùm quantum ad Scripturam, eam de Legis essentia non esse, vel solum exemplum Legis naturalis probat, quæ quatenus talis, scripta non est. Deinde idem docent etiam exempla quarundam legum positivarum, pariter non scriptarum. Nam, ut Aristoteles in Problematibus refert, *homines priusquam literas scirent, cantarunt leges, ne eas oblivioni traderent, & ideò pleræque dictæ sunt cantilenæ*. Fuitque id, eòdem Auctore, moris apud Agathyrsos. Quin, Plutarchò memorante, Lycurgus noluit leges suas scribi, aut scriptis servari, ut melius servarentur animo. Unde & Lacedæmonios nullam scripsisse, sed omnes leges memoriæ mandâsse quidam tradunt. Jam si de legis essentia esset scriptura, sequeretur,

Thef. 6. 7.
& 17.

Secl. 19.
probl. 28.

ibid.

in Lycurg.

retur, nec legem naturæ, nec illas positivas humanas debere dici leges, secundū tritum illud: *Si re priveris, nec nomen habere mereris*. Privabuntur autem dictæ leges omnes re, nempè aliquò legis essentiali, siquidem verum est, quod ajunt, de legis essentiâ esse scripturam. At verò quis illud dixerit?

III. Verior ergò est sententia Aristotelis, qui in Ethicis ad Nicomachum scribit, *nihil interesse, scriptane an non scriptæ* Lib. 10. c. 11. *sint Leges*, adeo que scripturam statuit legis accidens commune (uti vulgò vocant) quod possit adesse & abesse, salvâ manente ipsius essentiâ. Quod idem etiam cuivis liquet, qui modos, quibus decretum aliquod promulgari potest, novit. Non enim omnia promulgantur scriptis, sed plurima sæpè solâ voce. Proinde cur promulgatio talis Legi repugnabit? Melioris evidentia gratiâ argumentamur ita: Quod est de essentia legis, sine eò lex non est. At sine scriptura multæ sunt leges. Ergò scriptura non est de legis essentiâ. Minor constat ex dictis Thef. præced. Majorem autem intelligit, qui terminos intelligit.

II. Non subtricemus verò hîc, esse aliquos, qui verbum *scribere* latius sumunt, prout idem est quod *expressè sancire*. Quò pacto non modò de promulgatione, quæ voce fit, dici potest, (nam hæc quæ proclamatur lex, reverâ sancitur vel constituitur) sed videtur etiam ipsi legi naturali posse tribui: cum & eâ quæ sanxerit seu constituerit Deus, cuique hominum, cui sanum est synciput, sua ratio dicitur. Et ita scriptæ sunt omnes leges, solâ consuetudine exceptâ, quam id propter etiam tacitò consensu induci posse ajunt. Sed hæc *ὡς ἐν πρόδω.*

L. Quantum deinde ad bonitatem, non videmus, quomodo (positò vel maximè, quod omni legi competat, aut competere debeat) possit de essentiâ legis dici. Non enim concipitur primò de lege. Jam autem si de essentia ejus esset, deberet primò de lege concipi, seu pertinere ad primum ejus conceptum: quomodo e. g. esse corporeum vel animatum, pertinent ad primum conceptum hominis, adeo que dicuntur vulgò esse de hominis essentiâ. Neque valet consequen-

D

tia:

cia: Si omnis lex est bona, bonitas est de legis essentiâ. Nam possunt alicui multa competere, & de ipsô dici, quæ tamen non sunt de ipsius essentiâ: quemadmodum e. g. de hominibus dicitur, quod sint quanti, admirativi, risivi, (vulgò vocant risibiles) disciplinarum capaces, &c. quorum verò nullum de essentiâ hominis esse constat.

a lib. 3. Polit.
lit. c. 11. f.
b. 5. Tusc.
quæst.
c. in Her.

LI. Sed nondum etiam sufficienter ab aliquô probatum est, omnem legem esse bonam, rectam & justam. Docetque contrarium expressè Aristoteles, dum, quales sunt respublicæ, tales oportere & leges, vel bonas vel malas, justas & injustas esse, item leges debere accommodari Rebus publicis, & quæ ad Respublicas rectas latæ sunt, necessariò justas, quæ verò ad vitiosas vel corruptas, non justas esse, disertis verbis enunciat: a Ita (Cicerone b & Laërtio c, referentibus) apud Ephesios lex fuit: Nemo virtute excellens apud nos sit. Pessima profectò, & ipsi Naturæ adversa. Quin nec credimus, omnes respublicas, quæ pro bonis communiter habentur, ab omni vitio esse liberatas, nullâque malâ constare aut uti lege. De quô quidem judicare potest, cui variarum Rerum publicarum leges notæ sunt, quorum iudicio etiam hæc quæ diximus, modestè submittimus.

Thest. 28.

LII. Expositis sic hisce, addenda adhuc aliqua de obligatione, quam legi tribuimus, sunt, ut si forsan in dictis nonnulla restant dubia, ea eximantur. Itaque sciendum est I. Obligationem omni Legi competere, ita ut, cui non competit, præter monitum aut consilium nihil sit. Patet hoc ex iis, quæ supra, ubi legis definitionem explicuimus, diximus.

LIII. II. Sciendum, obligationem illam Legis esse proximè ex iussu vel imperiò summæ potestatis. Ad hujus enim iussum vivendum est subiectis, & quemadmodum illorum est regere & imperare, ita horum subesse & parere. Regit autem summa potestas per Leges. Per eas enim aperit suam voluntatem, & præscribit, quid fieri vel omitti à subditis velit & debeat. Proinde jubet Lex, & dum jubet, obligat. Quod optimè monuit Seneca, quando: *Mone, dixit, dic, quid me velis fecisse, non discio, sed pareo.*

LIV.

LIV. III. Sciendum, obligationem illam incipere cum ipsius Legis promulgatione, & durare tamdiu, quamdiu 1. summa potestas vult eam obligare; 2. actio, quam imperat, iis, quibus imperat; est possibilis; 3. objectum, circa quod hæc versatur, non est mutatum, & denique 4. ejus tenor aut vigor in eorum, quibus dicta, vel quos obligare dicitur, animo manet, nec hi culpabili aliquâ ignorantia laborant. Multa hinc dicuntur, sed omnium veritas est evidentissima, modo Th. 15. 17. ea, quæ superius de causâ efficiente, objecto, & promulgatione legis disseruimus, rectè attendantur. 25. 27. Etenim si summa potestas voluntatis suæ subditos per leges certiores (ut ita loquamur) reddit, & significat, quid ab ipsis fieri, quidve omitti velit, sique subditi auditâ voluntate illâ ad obsequium tenentur, sequitur ultrò, obligationem ante promulgationem Legis nullam fuisse, sed demum cum hæc incipere. Deinde, si (ut Thesi præcedente dictum) obligatio proximè dependet à jussu summæ potestatis, quamdiu hæc manet, necessario manet & illa, præsentibus tamen cæteris requisitis, quæ memoravimus, & quæ singula pariter in dictis fundantur. Etenim cum hæc fini imperetur actio, ut fiat, necessum profectò est, ut sit fieri possibilis; aliàs enim frustra imperabitur, & subditi etiam nullò modò (ad impossibile quidpe) obligabuntur. Cum item actio quævis circa objectum aliquod versetur, non potest illa institui, si hoc non adest. Et denique, cum, qui legis summam nescit, quatenus eam nescit, nec secundum, nec contra eam agere dicatur, ultrò patet, lege nequaquam teneri posse, qui ejus summam nosse nequit. Dicimus: *qui nosse nequit*. Nam non omnes ignorantes hinc intelligimus, & ab obsequio legibus præstando eximimus, sed saltim, quibus non potuit vel potest constare de legis præscripto. Quales sunt furiosi & dementes, quos à ratione non regi, etiam superius dictum est. Alia autem ratio eorum est, qui, modo vellent aut voluissent, optimè possent scire leges. Nam hi quoniam ignorantia suæ sibi ipsi causa sunt, excusationem non merentur. Et requiruntur quidem omnia hæc ad obligationem Legis, ita, ut unò eorum cessante vel deficiente, cesset & ipsa.

L V. IV. Sciendum est: Obligationem illam ad omnes illos sese extendere, quibus lata lex est. Unde semper ad hos respiciendum est, & videndum, sintne illi in subditorum numero, & si sunt, attineatne etiam eos lex? Notum enim est, præscribi nonnunquam leges, certas certis. Quæ igitur alicui non lata est, eum etiam non obligat. Quod si verò aliquis planè non subest alicujus potestati, eum nec leges attinent. Sicut e.g. nemo nostrum curat, quid Turca vel alius exterorum imperaverit. Et hinc Regem Galliarum (Philippum Pulcrum) minimè agnovisse legimus auctoritatem vel imperium Papæ Bonifacii IIX. quod in temporalibus sibi arrogare & tribuere voluit. Unde cum hic scriberet ad illum: *Scire te volumus, quod in temporalibus & spiritualibus nobis subes.* Respondit ille: *Sciat magna tua fatuitas, nos in temporalibus nemini subesse.*

LVI. Elucet ex hoc (1) rectè vulgò dici, *Summam potestatem esse solutam legibus.* Nam non ipsi, sed ab ipsa aliis feruntur leges. Proinde etiam non ipsos, sed subditos attinent & obligant. Ubi quidem iis non contradicimus, qui contendunt, ut major & melior capiti cum membris sit convenientia, subditique id, quod imperatum est, lubentiùs non modò fervent, sed & ad fervandum firmiùs obstringantur, benè agere Principem, si ultrò & se suis legibus submittat, secundum illud Claudiani:

*In commune jubes, si quid censeres, tenendum,
Primus jussa subì, tuus observantior equi
fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi.*

Nam non est quæstio de eò, quid Principi melius sit, sed quid summam potestatem obliget ac vinciat. Neque à positione illius ad positionem hujus licet argumentari.

LVII. (2) Elucet etiam exinde, *potestatem humanam, quæcunque sit, utut suarum legum obligatione sit exempta & soluta, teneri tamen legibus divinis.* Nam harum respectu non sunt summæ potestates seu imperantes, sed potiùs parentes. Proinde si quæstio movetur vel tractatur: *Sitne Princeps solutus legibus?* semper excipi debent leges divinæ. Quod ipsum monuit

nuit ipse Regius Ecclesiastes Salomon, dum dixit: *Summam* cap. ult.
omnium doctrinarum audiamus: DEUM time, & mandata ejus ^{vers. 13. 14.}
observa: hoc enim omnes homines decet. - - Cuncta, quæ sunt, ad-
ducet Deus in iudicium, etiam omne occultum, sive bonum sit, sive
malum.

LIIX. v. Sciendum quoque hoc: Legem obligare non
modò ad obedientiam, sed & ad pœnam, ita, ut, qui ei conve-
nienter non vixerit, peccati & pœnæ reus sit dicendus, quam
exigere penes Summam potestatem est. Et hoc quidem quan-
tum ad Leges divinas, certum est inter omnes; quantum au-
tem ad humanas, dubium. Sed ut & de iis affirmemus, faciunt
verba Petri, dum inquit: *Subiecti estote omni humane ordinatio-* Ep. I. cap.
ni, propter Deum: sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ^{vers. 13. 14.}
ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.
Item illa Pauli: *Omnis anima potestatibus supereminentibus sub-* Rom. 13. v. 1.
dita sit: non enim est potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, ^{2. 3. 4. 5.}
à Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi re-
sistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam
Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere
potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illâ. Dei enim minister
est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa
gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè
agit. Ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed
etiam propter conscientiam.

LIX. Et hæc etiam de obligatione Legis. Constitueramus
etiam aliqua de mutatione Legum addere; sed angustia tem-
poris impediti abrumpere filum, & subsistere hîc cogimur.
Interim ut mentem saltim nostram indicemus, putamus,
quemadmodum summæ potestatis est ferre Leges, ita ejus-
dem esse eas mutare, aut tollere; modò (quod omninò ad-
dendum est) sint ejusmodi, ut mutari aut tolli possint. Etenim
positivæ quidem omnes, tam divinæ, quam humanæ, sunt
mutabiles: dependent enim à liberâ potestatum humana-
rum voluntate, nec sunt de rebus suâ naturâ bonis. At verò
quod naturalem attinet, ea de iis est, quæ ex se & ratione sui
decet vel dedecet, & proinde non magis mutabilis est, ac
possi-

possibile est, ut id, quod in se bonum est & justum, fiat turpe ac injustum; aut viceverſâ bonum ac justum, quod in se est turpe & injustum.

l.c. §. 10.

LX. Finem imponant illa Grotii, optimè argumentum hoc explicantia: Est autem jus naturale adeò immutabile, ut ne à Deo quidem mutari queat. Quanquàm n. immensa est Dei potentia, dici tamen quædam possunt, ad quæ se illa non extendit, quia quæ ita dicuntur, dicuntur tantum, sensum autem, qui rem explicat, nullum habent, sed sibi ipsis repugnant. Sicut ergò ut bis duo non sint quatuor, ne à Deo quidem potest effici, ita ne hoc quidem, ut quod intrinseca ratione malum est, malum non sit. Et hoc est, quod significat Aristoteles, cum dicit: *ἐνια δὲ θεὸς ὠνόμασαι συνειλημμένα μὴ τὸ φαν-
λότητ*. Nam ut esse rerum postquàm sunt, & quæ sunt, aliunde non pendet, ita & proprietates, quæ esse illud necessariò consequuntur. Talis autem est malitia quorundam actuum comparatorum ad naturam sanâ ratione utentem. Itaque & Deus ipse secundum hanc normam de se judicari patitur, ut videre est Gen. XVIII, 25. Esai. V, 3. Ezech. XVIII, 25. Jer. II, 9. Mich. VI, 2. Rom. II, 6. III, 6. Fit tamen interdum, ut in his actibus, de quibus jus naturæ aliquid constituit, imago quædam mutationis fallat incautos, cùm reverâ non jus naturæ mutetur, quod immutabile est, sed res, de quâ jus naturæ aliquid constituit, quæque mutationem recipit. Exempli gratia: Si creditor, quod ei debeo, acceptum ferat, jam solvere non teneor, non quia jus naturæ desierit præcipere solvendum quod debeo, sed quia, quod debebam, deberi desit. Ut enim rectè in Epicteto Arrianus: *ἐν δὲ καὶ τὸ δανείσασθαι πρὸς τὸ ὀφείλειν, ἀλλὰ δεῖ προσεῖναι, καὶ τὸ ὑπαμένειν ὅτι τὸ δανείειν, καὶ μὴ ἀγαλεύσασθαι αὐτὸ: Non sufficit, ut debeatur pecunia, datam esse mutuam, sed oportet, ut & maneat adhuc indissoluta mutui obligatio. Ita si quem Deus occidi præcipiat, si res alicujus auferri, non licitum fiet homicidium aut furtum, quæ voces vitium involvunt; sed non erit homicidium aut furtum, quod vitæ & rerum supremo domino auctore fit.*

T A N T U M.

DEO SOLI GLORIA.

Præstantissimo ac Literatissimo
DN, CHRISTIANO PESLERO, Philos.
& Jur. Cultori strenuo, Amico dilectissimo,
S. P.

Leges dum relegis PESLERE, quid augurer? Annon
Lex olim Patriæ viva legendus eris?
Ita fausta & felicia quæque ominatur

PRAESES.

Angustò nescit spaciò mens celsa teneri
Ardua despectâ, Sydera tentat humo.
Tali Peslerum naturæ dote vigere,
Prælium & hoc scriptum sat docuisse queunt.
M. Joh. Fridericus Köberus, Geraviensis.

Ad Per-Eximium atque Doctissimum Dn. Respond.

Docta Medusæis fulgescit Pallas in armis,
Munit Pieriam cassis & hasta Deam.
Scilicet & Musis sua sunt certamina, doctos
Heic in conflictus poscit arena viros.
Heic quoque fert meritum superari nescia virtus
Encomium, Palmæ fert generosa decus.
Quis neget hoc PESLERE Tibi, quis denegat illud,
Næ Tu Palladius miles utrumque feres?

Geh ein den schönen Streit daren dich Pallas führet/
Und Phæbus selber ruft/ worinne die den Preis/
Und dieser saget zu das grüne Palmen-Reiß/
Geh' ein den schönen Streit der dich so treflich zieret.
M. Johannes W. Heberlein P.C.

Recht so mein werther Freund/ das heist der Tugend Gaben
nicht in der Erden Grufft/ im Himmel selbst vergraben/
Wann einer seinen Fleiß bald giebet an den Tag/
Was seine Hurtigkeit/ was sein Verstand vermag.
Ein solches gleiches Ziel hast du dir vorgesetzt/
Das dich zu Ehren bringt und sattfamlich ergetzet.
Du bist der/ der da geht der Weißheit schmales Pfadt/
Der/ den die Tugend selbst mit Lust gesenget hat

Die



Die Bücher deine Lust/und liebliche Syrenen
bepreisen deine Faust vor Venus und Helenen/
Wenn andre sind bestrickt von der erwehnten Schaar
mit ihrem Zauber-Netz/ so bist du ohn Gefahr.
Da wilt du lieber vor der Rechten Bücher lesen/
Und derer Schrifften die sehr trefflich seyn gewesen/
Wohl an fahr weiter fort / fahr fort du hoher Geist/
Diß ist der rechte Weg der dich zur Tugend weist.
Mit diesem wenigen hat seinen hochgeehrten Tisch- und Stubens
Gesellen glückwünschend bedienen wollen

Henricus Feurberg von Bielsfeld aus
Westphalen/Beyder Rechte Gestieffener.

Parodia Horatiana ad Oden XIII. Lib. III. Carm.

Tu pars Pieridum splendidior omni
Grandi digne metro, non sine laudibus
Lauru ornaberis olim

Cui vis inscia fulminis

Missi quod Legum praelia suscipis
Et tricas varias Themis quas parit
Phaëbo praside solvis

Ascræi soboles gregis.

Te Carpentis iners scomma dicaculi
Nescit ledere: Tu si modo gnaviter
Spartam præpete cursu

quam jam nactus es amplias,


Fies Pierii sic quoque particeps
Me dicente Chori quem colis impiger
Hinc ex fonte perenni

Laudes desilient Tue,

Boni ominis gratiâ Dn. Conterraneo suo
apponere voluit

Christianus Trillerus, Bernsdorffensis
Variscus,






Jena, Diss., 1658


ULB Halle
004 518 705

3



f
5b





B.I.G.

Farbkarte #13

1658, 7
D. N. J. C.

PHILOSOPHICA.

DE

IBUS,

Quam

R A E S I D I O

I R I

QUE EXCELLENTISSIMI,

PARI POSNERI,

E. PUBL. ORDINARI,

Patroni sui summò honoris &

cultu prosequendi,

de ventilationi submittit

PESLERUS, NEOSTA-

AD ORILAM,

& Respondens.

XXII. Septembris.

locog₃ solitis.

E N Æ,

MUELIS KREBSII,

M. DC. LIIIX,